



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Monvmenta Paderbornensia**

**Ferdinand <II., Paderborn, Bischof>**

**Paderbornae, 1669**

4. Qvos Cimbricvs Olim.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11425**

3. AMBRONES HABITASSE FERVNT. Alij alijs terrarum oris *Ambrones* collocent. Nos cum Reinero Reineccio in commentario de origine Mysorum , & cum Ioanne Pideritio in Chron. Lippiensi part. i. cap. 6. ad *Ambram* nostratem illorum sedem ponimus, & ab *Ambra* denominatos censemus.

4. QVOS CIMBRICVS OLIM. Florus lib. 3.  
cap.3. & quotquot *Cimbrici* belli meminerunt, *Cimbrorum* in Italiam irruentium socios faciunt Teutonos, qui *Ambronibus* *Ambr.e* accolis vicini, siquidem in Diœcesi Paderbornensi & Lippiensi Comitatu *Teutoburgium* , & *Teutoburgensem* saltum tenuerunt, & nomine suo donarunt, facile in societatem hujus belli *Ambronas* pertraxerint, junctis copijs Italiam invasuri. Hi igitur *Ambrones*, *Cimbris* per Noricum Italiam aggredientibus, in Gallias deflexerunt, unà cum Teutonis socijs suis alia via irrupturi. Sed, teste Plutarcho in Mario, ad Druentiam flumen, haud procul Aquis Sextijs, quas Teutoni tenebant, à Mario sunt deleti, cum ipsi soli Cæpionem , ac deinde Manlium Coss. unà cum exercitu Romano ante profligassent.

5. ILLIS ARMINII SVCCEDENS ARCE PROPINQVA. *Vix invenies*, ait Seneca de Consol. ad Helviam, *ullam terram, quam etiam nunc indigenæ colant; permixta omnia & insititia sunt.* Alius alijs successit. *Hic concupivit, quod alijs fastidio fuit; unde ille expulerat, ejectus est.* Sic in *Ambrorum* ad *Ambram* sedes Cherusci immigrarunt, quos etiam cis Visurgim habitasse, supra in notis ad cladem Varianam §. 15. ex Dione lib. 54. ostensum est, & ex ejusdem hist. l. 55. patet. *Drusum Chattorum fines ingressum, ad Sueviam usque processisse.* Inde in *Cheruscorum agros conversum Visurgim-*

P

que